(ut ex ſacris patet litteris) binos Moyſis filios ex Pha=
raonis furore et rabie eripuiſſe, nec tantum Moyſis
filios, ſed et ab Herodis Regis impijſſimi exercitu
totius orbis Creatorem creatura, et ſeruatorem
ſeruauit, cui etiam triumphi, et pompæ causa in=
ſedit, et in urbem ampliſſimam, et ob feſta (quæ
tunc celebrabantur) Paſchalia populoſiſſimam in=
uectus est. Sequuntur etiam omnes ferè Eremicolæ,
et quidem debiles, et decrepiti, non equis, ſed Aſinis uſos
fuiſſe, ſicut et de Diuo nostro Othmaro legitur, idem
de multis alijs Romanis, Græcisq Pontificibus Cælitibq
probare procliue eſſet, imò et ipse Antisiodorensis
Antistes S. Germanus ſolo Aſino uectus fuiſſe fertur,
qui cùm aliquando Rauennam uectus fuiſſet, et Aſinum
ſuum mortuum uidiſſet, paucis illum uerbis repertur
reſuscitaſſe, iusus enim domum reuerti mox ſurrexit
et Germanum ſanum, et incolumem Rauennam reuexit,
nec uerò quisquam præ Aſino deprædices equos, tot tanta=
rumq stragum, enecatorumq hominum omnis ordinis et statq
effusorum reos, quam multi ab equis, etiam Duces et Im=
peratores effusi occisiq ſunt, non unum, ſed mille Hipo=
lytos in medium adferre liceret. Vbi Leucagus olim
ab equo delapsus de quo Virgilius canit: Excuſſus curru
moribundus uoluitur aruis, Vbi Leucagi frater